VITAE SANCTORUM

Baumgartenberg (?), 1. Hälfte 13. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=28694
Copyright: Wien, Schottenstift (Benediktiner)

comitabatur, illum solita uenatione
deducens. Senex autem claudus ad mendi-
candum positus erat in uia. Cui unus e
fratribus elemosynam dedit. Secutus abbas
sanctus cum iam hominem pertransisset, conuertit se
paulisper intendens in eum: quod pariter
interrogat circumstantes, et si illum precipit
exhiberi. Suspicati homines quod esset
ei amplius aliquid ipse daturus: domine in-
quiunt claudus est nec moueri potest,
ad eum ferunt quod uolueris dare. Quo re-
petente uerbum et dicente: tollite
eum et afferte ad me, primo quidem pre ad-
miratione mutuo sese intuebantur,
ignorantes quid esset facturus. Demum ag-
noscentes eum, clamabant ad inuicem:
Abbas est clareuallensis, et pro certo illum
sanabit. Nimirum solitus erat quociens po-
terat operam dare ne inuicem agnosce-
retur, et interdicere sociis ne cui ex oc-
currentibus manifestaret eum, aut de
eo aliquid loquerentur. Sed querentibus quis transi-
ret, dicerent monachos esse, aut aliquem
de personis simul euntibus nominarent.
Igitur agnito dei famulo ruunt undique: et
leuantes hominem, ferunt et offerunt ei. Qui
imponens utrimque manum capiti eius,
et in celum suspiciens ac breuiter orans,
deponi illum iubet et ambulare. Ex-
cusante illo et dicente non possum, ego te
ait in nomine domini et eius uirtute precipio:
uade et sanus esto iam ab hac hora.
Quid plura. Statim depositus, statim sanatus

est, statim liber egrediebatur, repletus stupo-
re et extasi in eo quod contigerat sibi. Sed et ui-
cini eius et noti pariter congratulantes do-
minum collaudabant, qui miserabilis
hominis et meritum simul et uotum ha-
bundantia sue pietatis excessit. Vn-
de usque hodie locus ab incolis demon-
stratur, ubi signum tam euidens diuine
uirtutis effulsit. Nam senex claudus ex mul-
tis annis tota inferiori corporis sui
parte pene mortuus, et a renibus deorsum
omni prorsus membrorum destitutus officio,
diu stipem postulat sanitatem recepit,
orante seruo fideli, et omnipotente domino.
Hic fuit uiri sancti nouissi- opus ante-
quam in remotiores partes ingressus.
Siquidem factum est hoc ante sacram eius de-
positionem corporis anno uno. De quo
felicium eius actuum felicissima consum-
matione, erit nobis iam sed sub alia
narratione dicendum. Nimirum fallitur
siquis arbitratur huius sanctissimi uiri facta
mirifica posse cuncta narrari, et tamen
necesse est multa sileri, quin impossibilia
omnia comprehendi. Explicit liber. IIII.
Incipit liber. V.
vo. Post tantos
labores dominus ac su-
dores dilecto suo
bernhardo clareual-
lensi abbati diu desideratum preciose mor-
tis somnum dare disponeret, et fidelem
seruum in requiem introducere suam, cepit